

64.

DE
DEO PRIMOGENITO

PROGRAMMA
SACRO CHRISTI NATALITIO

A · R · S · C I O I O C C L X I I

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

P · P

HELMSTADII
TYPIS VIDVAE B · F · D · SCHNORRII
ACAD · TYPOGR



DE

DEO PRIMOGENITO

PROGRAMMA

SACRO CHRISTI NATALITIO

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

P. P.

HELMSTADT

1773 ADVEB D. P. D. SCHNITZLI

ACADEMIA



ACADEMIAE
IULIAE CAROLINAE
PRORECTOR ET SENATUS
CIVIBVS ACADEMICIS

I

Multis multorum hominum iudiciis agitata est, nec cuiquam facile rerum ecclesiasticarum auctori praeterita historiola illa, seu fabula potius, qua oraculum traditur, Caesari Augusto redditum, testimonium natae humani generis Salutis perhibuisse. Nimirum pro uero narrant GEORG. CEDRENVS, a) SVIDAS, b) NICEPHORVS CALLISTVS, c) IOANNES MALALA, *) Augustum, iam prouectiorem aetate, uenisse ad oraculum Apollinis Pythii, et hecatombe daemoni oblata quaesuisse, quisnam post eum Romanum administraturus esset imperium. Cum nullum eederetur responsum, duplicatis hostiis denuo rogasse. Tum oraculum, parua mora interposita, ad hunc modum respondisse:

Παις Ἐβραϊος κηλεται με Θεοις μακαρισσιν ἀναστων,
Τον δε δομον προλιπειν, κη ἀιδην αυδης ιεροδαι.
Λοιπον εἰμι δι σιγων εν ἑομων ημετερεων.
*Paer Ebraeus iubet me, Diis beatis imperans,
Hanc aedem relinquere, et ad Orcum rursus ire.
Caeterum abi tacens ab aris nostris.*

A 2

Tali

- a) *Comp. histor. p. 145, Toms VII, Corp. Byzant.* c) *Histor. eccles. lib. I, c. 17.*
b) *V. Auzeres.* *) *Hist. chron. lib. X, p. 98. Tom. XXIII, Corp. Byz.*

III

Tali responso accepto Caesarem Romam reuersum in Capitolio aram extruxisse, cum huiusmodi latina inscriptione, **ARA PRIMIGENITI DEI. PRAETER BARONIVM**, qui more suo patrociniū fabulae suscipit, eamque pingere quodammodo et uerisimilem reddere conatur, nemo facile est cordatorum scriptorum, quin manifestum ac impudens mendacium deprehenderit. Itaque, qui rem istam dignam tractatione iudicarunt, plerique improbant et refellunt, 1^o CASAVBONVS, d) ANTON^o VAN DALE, e) SAM^o BASNAGIVS, f) CHRIST^o CELLARIVS, g) I^o A^o SCHMIDIVS, h) TOB^o ECKARDVS, i) I^o G^o WALCHIVS. k) Post horum uirorum studium uix operae pretium uideatur, in commentis huius futilitate ostendenda amplius elaborare. Sed constitutum quum sit, data hac scribendi occasione usum et rationem appellationis τῆς ΠΡΩΤΟΓΕΝΟΥ ΘΕΟΥ ex antiquitate repetere, et simul alia succurrant, quibus fontes fraudis uel erroris, in fingenda ara *Primogeniti Dei* commissi, planius possint aperiri, hanc quidem operam dare non piguit, ut excussis denuo historiolae singularis momentis falsitatem eius ostenderemus.

II

Ac primo quidem uarietas lectionis in quibusdam uerbis oraculi ab eruditis, praesertim ANTONIO VAN DALE, obseruata, me ualde non mouet. Nam uerba quaedam a referentibus uel describentibus alio atque alio modo efferi, in oraculis praesertim, quae ambigua in se et obscura esse solent, id fidei

d) Exercit. ad Baron. I, n. XII. p. 69.

e) De oracul. p. 443.

f) Annal. polit. eccles. Tom. I, p. 178.

g) Diff. de primo princ. Christ.

§. IV, V.

h) Hist. saec. I. fab. mac.

i) Testim. Non-Christ. de Christo p. 83.

k) Hist. eccles. N. T. p. 118.

V

dei oraculi dati derogare nihil potest, ea si caeteris in rebus factis constet. Sigillatim primum oraculi uerbum illud *παις*, quod abundare et onerare metrum uidetur, nolim idcirco cum quibusdam eruditibus, qui aliter fingendum uersum putant, abiicere. Nam omnes, quos nominauimus, scriptores retinent, atque is sensus esse debet oraculi, ut natiuitas noui Dei praediceretur, quae omnino nulla intelligitur e uersu, si uocabulum *παις* omitteretur. Malim propterea auctoris, oraculum fingentis, quod fortasse priores in *Εβραϊσ* syllabas perperam corripuit, inscitiam aut negligentiam arguere. II. Illud maioris momenti est, quod factum hoc auctores memorant a tempore rei gestae nimium remoti, iidemque sarcinatos et *ἑσφωδαι* non optimae fidei; contra ignorant antiquiores iique grauiores scriptores, commode eo testimonio usuri ad firmandam doctrinae Christianae fidem et dignitatem, Iustinus M. Theophilus Antioch. Clemens Alex. Tertullianus, Arnobius, Lactantius. Res tantam auctoritatem habitura si facta est, nec ignorari ab his poterat, qui argumenta alia pro asstruenda religionis Christianae ueritate, etiam leuiora, studiose colligebant, nec reticere etiam ab ipsis Romanis, qui templa alia et aras ab Augusto dedicatas diligenter commemorarunt et tradiderunt posteritati. CEDRENVS quidem testem huius rei EUSEBIVM citat, sed in huius libris, qui extant, tale nihil legitur, atque ut CASAVBONVS cum IOS. SCALIGERO suspicatur, CEDRENVS haec, ut alia sexcenta, a GEORGIO SYNCELLO accepit. MALALA etiam ad Timotheum quendam sapientem prouocat, qui tamen quis fuerit ignoratur. III. Sors illa, quae Augusto edita Del-

VI

phis dicitur, uersibus constat. Ita uero falsi semet ipsam arguit, CICERONE accurate testante, l) Apollinem iam Pyrrhi temporibus uersus facere desisse. Idem latius demonstrat PLVTARCHVS singulari libro. m) Uterque autem quamuis doceat, et ipsos Delphos sua aetate contemptos esse, raroque consulti, et alia oracula multa plane conticuisse, BARONIVS tamen omnino fallitur, qui his testimoniis probare satagit, nato Christo oraculum Delphicum nulla ultra dedisse responsa, idque ipsum daemonem Augusto esse factum. Etenim post illa tempora Delphis oracula petita esse, cum totus PLVTARCHI liber probat, tum maxime Neronis Caesaris exemplum, quem Delphis responsum accepisse SVETONIVS memorat. n) IV. Neque uero necesse habebat Augustus, curiosius inquirere, quis sibi in imperio successurus esset. Non modo nouerat successores suos, sed legerat ipse. Nam quos ex Iulia filia habebat nepotes, Caium et Lucium, per assem et libram a patre Agrippa emicos domi adoptauerat, et teneros adhuc admouerat ad curam reipublicae. o) Caius eo tempore, quo oraculum editum perhibetur, iam Consul designatus, iam rebus Armeniae constituendis praefectus, quarto aerae Dionysianae anno moritur in Lycia, cum Ariobarzanem regem Armeniae constituisset, statimque ab Augusto, quod Lucium etiam biennio ante amiserat, Agrippa postumus et Tiberius in spem imperii adoptantur. p) V. Eandem Caium Augustus, quod in expeditione Armenica Iudaeam praeteruehens apud Hierosolymam non supplicasset, collaudauit,

l) De diuinat. II, c. 56.

o) SVETON. Aug. c. 64.

m) Cur nunc Pythia non reddat oracula carmine.

p) SVET. Aug. 65. Tib. 15. VELL. I. II, 103.

n) In Neron. cap. 40.

uit, et omnes pariter caerimoniaſ peregrinas, non
 ueteres ac praeceptas, contemptui habuit, teſte SVE-
 TONIO. q) Quid uero? potuit Auguſtus adeo con-
 temnere Iudaicas religiones, qui ab ipſo Apolline,
 ſummum Deum eſſe puerum Ebraeum, fuerat mo-
 nitus? potuit laudare Caium, quod Dei Ebraeorum
 templum non adiſſet, cui ipſe ut Primogenito Deo
 aram dedicauerat? En contraria omnia ſenſibus et
 moribus Auguſti. VI. Neque illud probari ullo te-
 ſte poteſt, Auguſtum iam ſenem Delphos adiſſe.
 Nam ex ea protectione, qua Graeciam aliasque pro-
 uincias obierat, A. V. DCCXXXV, decimo nono an-
 te Chriſti natiuitatem anno, rediit, nec unquam de-
 nuo iſtas regiones uidit. Et rediit tum quidem ani-
 mo religionibus Romanis admodum dedito. Nam
 et aram *Fortunae Reduci* ob felicem reditum confecra-
 ri paſſus eſt, et ipſe templum *Marti Ultori*, quod in
 itinere decreuerat, in Capitolio excitauit. VII. Ipſa
 arae Primogeniti dedicatio, quamquam ſecuta edi-
 tum oraculum dicitur, tamen ei minime congruit, et
 narratio ea cento uidetur nugarum male conſutus.
 Neque enim toto in oraculo quicquam apparet, un-
 de intelligi ratio poſſit, cur aram Auguſtus Deo
 Primogenito inſcribere uoluerit. CEDRENVS
 ſolum oraculum ab Apolline redditum memorat,
 aram ab Auguſto poſitam ignorat, non certe
 omiſſurus hanc partem hitoriae, ſi in auctore,
 quem exſcribebat, reperiffet. Quod documento eſt,
 ab aliis oraculum excogitatum, ab aliis dedicationem
 inſcriptionemque arae: alios denique utrumque in u-
 nam fabulam compegiffet. Quo fit, ut cohaereat, ue-
 lut aegri ſomnia. VIII. Accedit, appellationem Dei
 Pri-

q) Aug. c. 93.

VIII

Primogeniti, si Christo tribuatur, ineptam admodum et inscitam esse. Nullus eius commodus sensus est, siue e gentilium religionibus, siue e Christianorum doctrina explicetur. Gentilium sensu, ut ante alios Deos ortum intelligeret, dicere non poterat Augustus, quem, tot aliorum Deorum religionibus dudum cognitis, nunc primum natum audiebat. Christiano autem sensu sic appellari non poterat, nisi respectu habito ad oracula diuinorum librorum, quorum Augustus nec notitiam nec sensum ullum habebat, imo habere non poterat, quod parum nondum extarent. Atque ne hoc quidem respectu commodam satis eam appellationem esse puto. Πρωτοτοκον Mariae, πρωτοτοκον πασης κτισεως Christum dici in sacris litteris, constat; at Deus Primogenitus, qui intelligi nequit, nisi inter plures Deos, e doctrinae Christianae formula qui dici possit, non uideo. Relinquitur, ut inscriptionem arae confictam et formulis Scripturae S^c accommodatam ab homine recentioris aevi, eoque indocto et insipiente, arbitremur. IX. Nec illud hic praetermittendum, quod SWIDAS significat, aram Ρωμαιοις γραμμασι, *Latinis litteris*, inscriptam fuisse. Cum ipse titulum Graece exprimit Πρωτογενεος Θεου, uix aliud potest latinum nomen intelligere, quam Primogeniti. Neque enim aliud singulare uocabulum extat, quod Graeco illo exprimat, et LACTANTIUS quoque r) πρωτογονου Deum Orphei uertit *primogenitum*. At illud tantum abest, ut Augustei aevi uocabulum censerj possit, ut potius ad ultimam latinitatis aetatem reiiciendum sit. Nam ut CELLARIUS obseruat, s) fere tantum a scriptoribus ecclesiasticis, Lactantio, Hieronymo, Augustino, usur-

r) *Lib. I, cap. 5.*s) *Cur. poster. cap. VII, p. 249.*

IX

usurpatur, et e profanis antiquiorem nullum auctorem habet PALLADIO, qui mea sententia Theodosiani aevi scriptor est. Qui autem e PLINIO adduci solet locus, merito suspectus habetur

III

Neque uero credibile est, opificem fabulae temere adeo, et nulla occasione uel ueri specie inuitatum, in eam arae inscriptionem incidisse, quae cum per se insolens et a Romana religione et lingua abhorrens est, tum quibus de causis ab Augusto sit posita, nulla satis idonea ratione traditur. Itaque re ea saepius animo pertractata, incidi in eam opinionem, ut existimarem, factum fortasse cum ara PRIMIGENITI, quod in statua Simonis Magi, a IUSTINO Memorata, accidisse compertum est. Narrat scilicet Iustinus, ut rem certissimam, duobus Apologiae secundae locis, statuam Simoni Mago Romae sub Claudio Caesare in anne Tiberi inter duos pontes erectam cum hac inscriptione latina esse: SIMONI DEO SANCTO. Hoc quum aliorum quoque ecclesiae doctorum consensu confirmari uideretur, plurimos induxit eruditos uiros, ut rem quantumuis mirabilem, fide tamen Iustini aliorumque sanctorum uiuorum munitam, uocare in dubium non auderent; donec PETRVS CIACCONIVS, t) effossa anno dno LXXIV Romae statua, cui inscriptum erat: SEMONI SANCO DEO FIDIO, u) originem erroris aperiret, et demonstraret, Iustinum martyrem, linguae latinae non satis peritum, Semonem Sanctum, Sabinum numen, pro Simone Mago habuisse. Dei PRIMIGENITI quidem aram Romae extitisse, nulla ratione credibile est. At extiterunt Fortunae PRIMIGENIAE permultae, ut

B

t) In opusc. ante expof. col. Tral. u) Legitur in thef. Gru. p. 96.

X
 lapidum inscriptiones docent, quarum exempla haud
 pauca GRVTERVS in opere aeterno publicauit. x)
 Haec *Primigenia*, quamquam aliud plane significat
 quam primogenitus, a Graeculis tamen facile pote-
 rat uerti Πρωτογενος. Nam et PLVTARCHVS Πρωτο-
 γενειαν uerti posse, alicubi significat, y) et in O R-
 PHEI hymnis, obseruante BYRMANNO, z) quae
 dicitur πρωτογενος, alio loco est Φυσις πρωτογενεια. Iam
 Graeculi, iidemque Christiani, quibus e lectione li-
 brorum Ν·Τ· ὁ πρωτογενος πατρις κτιστας, et ὁ μονογε-
 νης τῶ Θεου inhaereret memoriae, cum audirent forte
 Romae coli Θεου πρωτογενου, facile eo prolabi pote-
 rant, ut crederent, cultum eum a fama nati Serua-
 toris traxisse originem. Pingamus, hominem ali-
 quem Christianum, Graeculum et rerum Romana-
 rum ignarum, aliquam harum inscriptionum, quas
 GRVTERVS profert, aut similem, legisse:

FORTVNAE	FORTVNAE
PRIMIGENIAE	IOVIS PVERI
IOVI PVERO	PRIMIGENIAE

D·D·

Illud *Primigeniae* quo referendum esset, nesciebat
 bonus homo. Nam ipsius nominis ratio in se obscura
 et recondita est adeo, ut ipsorum Romanorum ple-
 rique ignorauerint. Saltem doctissimi rerum Roma-
 narum auctores de significatione ambigunt. Et ui-
 debat fortasse, ut in quibusdam inscriptionum exem-
 plis hodie reperitur, curtatam uocem PRIMIGEN·
 Succurrebat e lectione sacrorum librorum Primoge-
 niti uocabulum, et procliuē adeo erat, ut Iustino fu-
 it e *Semone* Simonem, et e *Sanco* Sanctum facere,
 sic

x) Pag. 75, 76, 77.

CIV.

y) *Quaest. Rom.* LXXIII. et z) *Ad Quid. Fast. V.* 730.

sic huic e Primigenia facere Primigenitum. Confir-
 mabat adiectum PVERI elogium, in quo cum me-
 minisset, in sacris litteris *puerum nobis natum*, et
 Christum *pueris similem factum* dici, facile sibi per-
 suadebat homo ineptus, non alium eo lapide celebra-
 ri, quam Christum recens natum, primogenitum Ma-
 riae. Additum duplex D. D. facile explicabat *De-
 um Deorum*. Sumamus porro, hominem eiusmodi
 in oraculum, quod a Pythia Augusto redditum fere-
 batur, incidisse. Huius enim artificem non modo di-
 uersum a fabricatore arae Primogeniti, sed etiam an-
 tiquiores eo esse, iam supra monuimus. Fortasse
 inaudiuerat ille quippiam de ara Fortunae Reduci
 posita, quum Caesar Augustus, prouinciis quibusdam
 peragratis, Romam rediisset. a) Fortunae nomen,
 quod in fronte lapidis conspiciebat, iniiciebat homi-
 ni suspicionem, esse hoc fortasse monumentum, quod,
 Augusto e Graecia reduce, fuerat positum. Sed idem
Fortunam interpretabatur *Δαιμονα*, quod alius dein-
 de permutabat cum *Θεος*. Nam Graecis *Δαιμων* et
Τυχη idem est. Hinc *ἑυδαιμονες fortunati*: *Ἀγαθὴ*
Τυχη et *Ἀγαθὸς Δαιμων* idem: *Δαιμων γενεθλιος* apud
 PINDARVM b) *Fortuna genitilis, seu primigenia*.
 Reliqua uerba inscriptionis egregie respondere ora-
 culo, quod in mente haberet, deprehendebat. Nam
 ut ibi *Puer* celebratur, qui *Diis imperat*, sic in lapide
 sibi uidebatur *Puerum, Deum* uel *Dominum Deorum*,
 inuenire, et Iouem fortasse nominatum existimabar,
 quod Augustus religionem ex oraculo perceptam oc-
 cultare quodammodo Romanis, et eorum sacris ac-
 commodare uoluisset. His admissis, cohaeret ara

B 2

Pri-

a) DIO CASS' Lib. LIV.

b) Olymp. XIII, 1. p. m. 302.

XII.

Primogeniti cum draculo, quod ante editum dicitur, et prior fabula continuata est altera, nempe Augustum tum, quum e Graecia reuertisset, aram Primigeniti Dei ex sententia oraculi possuisse. Nisi stupor hominis, tam absurda commenti, iam nimium appareret, et si paullo interior religionum Romanarum intelligentia huius fabulae opifici posset tribui, reperirem aliam oraculi Delphici cum inscriptione arae conciliandi rationem. Nam, quod paullo post demonstrabo, uidentur Romani eam dixisse Fortunam Primigeniam, quae hominem ab ipso ortu suo ita proucheret rebus secundis, ut superior aliis sit, et principem locum perpetuo tueatur. Hoc sensu putauit fortasse nugator Fortunam Primigeniam Iouis Pueri respicere ad uerba oraculi, quibus Puer Rex Deorum dicitur. Deinde, breuius cum uellet titulum arae efferre, dixit positam esse Deo Primigenio, idque Graeculus uertit Θεῷ Πρωτογενῶ. Nisi quis existimare malit, πρωτογενῶν uel *primogenitum* nihil significare aliud, quam recens natum, uel nuper genitum. Quanquam insolentior haec significatio, tamen HESYCHIVS confirmare uidetur, qui πρωτογενῶς, *uecs* explicat, et *uecs*, *νεωσι γεννημενων*. Neque uero, hoc sensu admissō, tituli huius ponendi causa aliunde extare potuit, quam a lapide Primigeniae inscripto. Illud obicere quis coniecturae meae queat, lapides, ad quos prouocauī, eorumque similes, plerisque Praeneste inuentos esse, ubi Fortuna praecipue colebatur; aram Primogeniti uero in Capitolio positam memorari. Sed primo locus iste nominatus non mouet, quod, tanquam celebrior urbis Romae, facilius occurrebat auctori fabulae, quam alius quidam obscurior. Deinde Fortunae Primigeniae templum erat

erat in ipso Capitolio, ut mox latius docebimus: colebatur ibidem Veiovis, qui non alius est quam Iupiter *Puer*, *Crescens*, uel *Iuuenis*. c) Lapis etiam quidam, quamuis Praeneste inuentus, Fortunam celebrat Ioui Tarpeio uicinam, his uersibus: d)

*Tu quae Tarpeio coleris uicina Tonanti,
Votorum uindex semper Fortuna meorum.*

Cum igitur Praenestina Fortuna eadem fuerit cum Primigenia Capitolii, dubium non est, quin monumenta eius in Capitolio aequae frequentia fuerint ac Praeneste, licet hodie pauca supersint

IV

Caeterum cum ea cognatio nominis PRIMIGENIAE Romanorum intercedere cum Θεω Πρωτογενωσ uideatur, instituti nostri ratio poscit, ut eam paullo curatius consideremus, antequam ad alios transeamus eo nomine appellatos. Cultum Primigeniae et rationem nominis e ueteribus explanare conati sunt CICERO, e) et PLVTARCHVS; f) e recentioribus maxime M. Z. BOXHORNIVS, g) I. RYCVIVS, h) F. BURMANNVS, i) sed qui per omnia non satis faciunt. Tempora omnino duo Romae ab antiquis temporibus habuit. Primum ei in Capitolio posuit Seruius Tullius, Rex, qui mira felicitate usus, cum omnes regni opes uni Fortunae referret acceptas, uariis eam nominibus templisque consecrauit. k) Alte-

B 3

ram

c) OVID. *Fast.* III, 435. *seqq.*
GELL. *V.*, 12. *Conf.* I. RYCVIVS de *Capitol.* c. 40.
d) Apud GRVT. pag. 72. Proferunt etiam BURMANNVS *Anthol. lat. lib. I.* ep. 80.
De *leg. II.*, u. De *diuin.* II, 47.

f) *Quaest. Rom. CIV.*

g) *Quaest. Rom. qu. 4.*

h) *De Capitol. Rom. c. 43.*

i) *Not. ad Ouid. Fast. V.*, 730.

k) PLVTARCH. de *fort. P. R.*

p. 322: ἱερῶτατον δ' ἐν Σιγῆβιος
Τυλλιος Τυρῆος ἕγεν ἐν Καπιτωλίῳ

ram aedem anno V. C. DXLIX, bello Punico secundo P. Sempronius Sophus, Consul, uouit, l) quum in Brutiis aduersus Hannibalem pugnaret, et post decennium in colle Quirinali dedicauit Q. Martius Ralla, Duumuir ad id ipsum creatus. m) Dedicatam esse VIII Kal. Iun. indicat OVIDIUS, n) quamquam ibi Publicam nominat. Nam, ut commodè annotauit NEAPOLIS, o) in fragmento Kalendarii antiqui apud GRUTERVM, p) post notas illas Q. R. C. F. quae praecedente uersu OVIDII declarantur, et IX Kal. Iun. designant, sequuntur hae FORTVN. PVBLC. PR. IN COLL. h. e. *Fortuna publica primigenia in colle*, sc. Quirini, hac die dedicata est. Vnde apparet, adiecto *Primigeniae* cognomine hanc distinctam fuisse ab altera Fortuna Publica, quam dedicatam in colle Quirinali Nonis April. scribit OVIDIUS, q) et P. Victor, regione Urbis VI, nūde *Fortunam Publicam in colle* dicit. Sed indidem intelligitur, Fortunam Primigeniam simul Publicam fuisse habitam et nuncupatam, atque adeo falso notari a RYCCOUIO IOANNEM Sarisberiensem, quod Fortunam Publicam in Capitolio adorari scripsit. r) Primigeniae in colle semel adhuc mentionem iniicit LIVIUS, s) quum ex eius aede A. V. DLXXXIII prodigia nuntiata, palmam in area enatam, et sanguine interdum pluuisse, memorat. Praeneste quae colebatur Fortuna non alia fuit, quam Primigenia, ut lapidum ibi inuentorum inscriptiones, et in primis

το της Πριμιγενιας λεγομενης.

Conf. idem in *Quaest. Rom.*

LXXIII.

l) LIVIUS XXIX, 36.

m) LIV. XXXIV, 53.

n) *Fast. V.*, 730.

o) *Ad Ouid. Fast. IV.*, 375.

p) *Pag. CXXXV.*

q) *Fast. IV.*, 375.

r) *In Policrat. lib. V.*, c. 4, p.

221.

s) *Lib. XLIII.*, 15.

mis epigramma lapidare docet, quod supra citauimus. Celeberrima erat foribus et oraculis, quae tanta auctoritate edebantur, ut maiestas iis tribueretur. t) Apud eandem signum erat Iouis pueri, qui lactens cum Iunone Fortunae in gremio sedens, mammam appetens, castissime colebatur a matribus. u) Qualis et erat Veiovis, aedem habens in Capitolio. Significatio nominis Primigeniae impeditior est. Propterea Graeci scriptores nolunt illud Graeco permutare, sed Romanum retinent plerumque. Pro interpretamento huius nominis a uiris doctis uideo ad haec uerba DIONIS CASSII prouocari: x) Ἄμα τε ἐξ ἐργασερῶν σιτοποισῶν προχυθὲν ἀφικετο πρὸς νεῶν ἑτερόν Τυχῆς, ἢν ἐκ τῶ πάντων τα τε ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τὰ κατοπινὴ καὶ ἐφορᾶν καὶ ἐκλογίζεσθαι χερσὶν τινα, μὴδὲ ἐπιλανθάνεσθαι ἐξ ὧν ὅς ἐγενετο, καὶ ἰδρυσαντο καὶ ἐπεκαλεσαν, τροπὸν τινα ἐκ ἐναΦηγητὸν Ἑλλήσι. *Sanguis e pistrino effusus ad alterius Fortunae templum profluxit, quam ea de caussa, quod omnia, et ante oculos et retro posita, tum respicere tum expendere quisque debeat, nec obliuisci, ex qualibus qualis ortus ipse sit; et consecrarunt Romani et agnominarunt modo quodam Graecis inexplicabili. Sed, siquid ipse uideo, nihil haec uerba declarant, quod ad Primigeniam attineat. Certum potius habeo FORTVNAM SEIAM describi, et qui de Primigenia interpretati sunt, sola uersione XXLANDRI, qui eius nomen de suo inferuit, in errorem inductos esse. y) BOXHORNIVS existimat primigeni-*

t) Vid. SVETON: Tib. 63. et citatum epigramma u. 18.

u) CIC. de diuin. II, 41.

x) Lib. XLII.

y) Fortuna Scia quae et cur dicta fuerit, omnes, quos con-

fulere potui, antiquitatum auctores ignorant. Res clara fit, si uerba DIONIS ad eam referantur, et conferatur hic locus PLINII, XXXVI, 22: *Nerone Principe, inquit, in*

XVI

genium idem esse, ac primogenitum *πρωτογεννητον καὶ πρωτοτοκον*, atque adeo Primigeniam Fortunam dictam esse, quod omnium prima culta illa et instituta fuerit apud Romanos. Quod mihi secus uidetur. Cur enim filium natu maximum Romani non uocant primigenium. Ita potius uocare uidentur, quod primum originem rei et formam dat, aut a primis initiis rei quocunque modo coniunctum est, originale, primitiuum. Sic *primigenia femina, primigenia uerba, primigeniam pecuariam, primigeniam consuetudinem uictus* VARRO dixit, FESTVS autem *primigenium sulcum, qui in noua urbe condenda tauro et uacca imprimitur*, AMMIANVS *Primigeniam rerum, naturam*. Itaque optime a CICERONE z) *Fortuna Primigenia explicatur a gignendo comes*. Est enim ea, quae ab ipsis natalibus hominem singulari felicitati destinata, e periculis saluum praestat, assidueque iuuat, et ad magna quaeque prouehit. Et ut Genius apud Romanos uim cuiusque rei denotat, sic Primigenii dicti uidentur, quibus praecipua uis atque uirtus

Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus atque translucens: hoc construxerat aedem Fortunae, quam Seiam appellant, a Seruio Rege sacraiam, aurea domo complaxus. Quare etiam foribus operis interdiu claritas ibi diuina erat, alio quam specularium modo, tanquam inchoata luce, non transmissa. Cur aedem Seiae phengite lapide construxit Nero? Scilicet ut nomen et officium Seiae exprimeret, et, quemadmodum

Domitianus, porticus, in qua spatari solebat, parietes phengite lapide distinguens, eius splendore per imagines, quae quid a tergo fieret, prouideret. SVET. Dom. 14. Seia enim Fortuna dicta est, quod se et sua quisque respicere et explorare debeat. Id uero graeco uocabulo explicare desperabat. Latius haec explanare locus non permittit. Caeterum alia est Dea Seia, cui fegetes commendabant,

z) *De leg. II, 11,*

tus inest, ad principatum inter aequales obtinendum. Quadrat haec ratio in omnes Deos et homines, quibus aut Fortuna Primigenia, aut Primigenii nomen tributum est. Valet de Ioue, quem poetae fabulantur in ipsa natiuitate sua, cum pater Saturnus eum deuorare statuisset, et in adolescentia multis cum periculis conflictatum, tandem coeleste imperium obtinuisse: valet de HERCVLE PRIMIGENIO, ita enim uocatur in marmore Gruteriano, a) qui, poetarum relatu, summa uirtute, qua etiam infans missos in perniciem tuam angues elideret, et superatis maximis laboribus, coelum meruit: valet denique de Seruio Rege, a quo nomen et originem Primigenia accepit, quod, quanquam e serua natus esset, tamen ad imperium Romae peruenit, idque ei puero dormienti exorta circum caput flamma portendit. Nec abludit lapis Gruterianus b) C. Valerii Martiani cuiusdam, Primigeniae dicatus, quod omnibus honoribus, curiis, muneribus functus esset. Ita scilicet Primigeniae numen ad dignitates et res magnas obtinendas conferre credebatur. Primigenii quidem nomen etiam pueris, seruis, libertis additum frequenter legitur, ut in hac inscriptione: c)

DIS MANIBVS
PRIMOGENIO
HESYCHI· AVGV· LIB·
LIBERTO
PRIMIGENIVS VERNA

sed id boni omnis causa factum uideretur, perinde ut Eutythii, Fortunati, Eudaemones multi occurrunt. Praecipue

a) Pag. CCCXV, n. 2.
b) Pag. LXXV, n. 12.

c) GRVT· p. DCXIV, n. 2. Vid.
PETRON· Sat. c. 46.

XVIII

cipue autem ad rem publicam Romanam spectabat Fortuna Primigenia, quam et Publicam dicebant. Hanc enim perinde consecratis aedibus colebant Romani, ut Virtutem, Concordiam, Mentem Publicam, quod cum consilio et uirtute bellica orbis terrarum imperio se potitos esse credebant, tum maxime Fortuna, quam primis urbis auspiciis additam, fato diuino, putabant, res suas ad summum potentiae fastigium prouehere. Probat hanc rationem in primis PLVTARCHVS, d) et Primigeniam dictam ait, *ὅτι τῆς Ῥωμαίων ἡ Τύχη παρὰ θεοῦ τὴν ἀρχὴν καὶ γένηται*, quod ipsi Romae sui ortus initia suggestit Fortuna. Quare Iouem Puerum, quem Fortunae Primigeniae iungunt lapides, et in gremio Fortunae lactentem exhibebat statua Praenestina, urbis Romae initia et incrementa designare, non spernendi auctores probant. e) Ad haec Romulus allu- fit, cum Veiovi templum consecraret. Et haec igitur causa fuit, cur P. Sempronius, Consul, inclinante in Italia re Romanorum, uictoris Hannibalis, proelium commissurus aedem Primigeniae uoueret. Pro- uocabat enim et inuitabat eo uoto debitam ab origi- ne Romae, et auspiciis promissam, Fortunam, ut res Romanas nunc secundaret rursus et pristino uigori restitueret. Caeterum minus probabilis uidetur ra- tio nominis Primigeniae, quam PLVTARCHVS pri- ori adiecit, *nitivum omnium rerum principium For- tunam esse, quod ex euentis fortuitis Natura primum orta sit*. Neque enim Romani, qui religiones suas omnes ad rem publicam suam referebant, in nomi- ne isto uidentur tam subtiliter philosophati. Sed de Fortuna Primigenia satis

Ani-

d) Quaes. Rom. CIV.

e) Vid. BURM. ad Ouid. Fast. V, 730.

Animus erat, pro instituti ratione, nunc ex Orphei Theologia του Θεου ΠΡΩΤΟΓΟΝΟΝ Phanetem subiungere, et quem eo nomine intellexerit, paullo diligentius expendere. LACTANTIUS f) enim existimat, *Primogenitum* ab Orpheo appellatum Deum uerum et magnum, quod ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta generata; Φαντα uero nominatum, quod, cum adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit et existerit. Eundem putat, Orpheum perhibere, ex immenso aere natum, quod originem et naturam eius non potuerit animo concipere, nec aliud amplius, quod diceret, habuerit. Sed paullo benignius agere cum Orpheo LACTANTIUS uidetur, qui in eius Πρωτογονω uerum Deum inueniat. Doctrina enim Orphei, qualem in primis fessit ATHENAGORAS, g) ortum Deorum cum ipsa mundi generatione miscet, et tantum abest, ut Phaneta summum Deum, omnium parentem, faciat, ut potius ipsum dicat e mundi principiis ortum. Πρωτογονω autem nomen accepit Phanes, monente eodem ATHENAGORA, h) quod eum ex ouo πρωτογονω effusum dicebant. Probabilius omnino MACROBIUS, i) adductis aliquot uersibus Orphei, Phanetem Solem esse demonstrat, ita dictum απο της Φωτος και Φανεω. Fortasse rectius existimes, intelligi lucem primigeniam, seu faciem mundi, separatis inuicem elementis, et discussis profundi tenebris, primum apparentem. Hanc Πρωτογονω rationem declarat uersus apud MACRO-

C 2

BIVM:

f) Instit. diu. lib. I. c. 5.

h) l. c. pag. 162.

g) Legat. pro Christ. p. m. 142.

i) Saturn. lib. I. c. 18.

seq.

XX

BIVM: Πρωτος δ' ἐς Φαος ἦλθε: et huc respexisse uide-
tur HESYCHIVS, qui πρωτογονων interpretatur πρω-
των Φανεντων. Orphicorum commentis similia sunt,
Primigenia Tetractys Aeonum Valentini, et *Mens*
Primigenita Patris ingeniti, quam Basilides iactabat,
ab IRENAEO memorata, k) quae sibi locum hac in
dissertatione uindicare poterant. Praecipue autem
constitutum erat, rationem nominis, quum Filius
Dei in sacris litteris Πρωτοτοκος πασης κτισεως, et latine
a LACTANTIO l) *Primogenitus* nuncupatur, ube-
rius explanare. Sed operis propositi fines hanc com-
mentationem longius producere uerant

VI

Celebramus hoc tempore, quod memoriae na-
ti CHRISTI sacrum est, Πρωτοτοκον Mariae, qui idem
πρωτοτοκος πασης κτισεως, et aeternus Dei Filius, o-
mnia saecula antecessit. Hic nimirum homo nasci hu-
mili conditione uoluit, ut primigeniam hominum
felicitatem, labe antiqua, in omnes transfusa, perdi-
tam, instauraret, nosque adeo reconciliatos Deo,
participes secum coelestis gloriae redderet. Quo pa-
cto et Πρωτοτοκος nomen respectu nostri gerit, ut Prin-
ceps salutis humanae, quocum coniuncti fide ipsi re-
nascamur ad meliorem uitam, et dignitatem filiorum
Dei assequamur. Magnum itaque argumentum pie-
tatis in Πρωτοτοκος, quod Christo tribuitur, nomine
est, cuius ui et amplitudine recte animo pensitata
non dubitamus, Ciues, quin sacra Natalitia rite et
pie sitis peracturi. P. P. in Acad. Julia Carol.

d. XXIV Dec. A. clobCCLXII.

k) *Adv. haer. lib. I, c. 1 et 23.*

l) *Lib. IV, c. 6.*




35. Progr. in Fun. Stiliae Heinemannii, Com. Hrovnge, vnyng. 1661.
 36. Bodmereri phil. et theol. stud. 1665.
 37. Fiknadersi progr. orationis — a Braunfeldt praem. 1663.
 38. progr. in Fun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
 39. An. Marg. Nagleri. 1666.
 40. — — puelluli Joh. Rixneri. 1666.
 41. — — Jenelli Joh. Fr. Rixneri. 1666.
 42. — — An. Eleon. Ackeri. 1666.
 43. Carin. grat. ad Busmannum. 1667.
 44. Ode in caritatem. 1678.
 45. Andri. Helm. Hellberg gratulantis Acad. Juliae prof. 1778.
 46. Progr. Henrici Wilschurpi. 1680.
 47. Festu. nupt. Carl. Anoltri Drumbricht. 1678.
 48. Lat. ac debit. officium ad evadum. 1678.
 49. Pia vota ad Lud. Fabrum sponsum et — Senram. 1679.
 50. Progr. in Fun. matris Bornemanniae, Cansmanni viduae. 1691.
 51. Progr. tot. Rempen. 1709.
 52. Progr. in Fun. An. Cath. Rineritiae, Hornesii vnyng. 1649.
 53. Progr. XII Nov. A 1693.
 54. — in Fun. An. Syph. Schmerhenniae, Sitt. Theod. Ackeri vid. 1702.
 55. — Agnerae Kochner, Carp. Turberii vid. 1712.
 56. Abhandlungensatzes abguldung von Veigt.
 57. Progr. in Fun. Homburgii Selt. 1714.
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
 59. Progr. in Fun. Carolif phil. stud. 1757.
 60. Musurgia Topapii 1757.
 61. — Siedlii. 1758.
 62. — Laur. Heideri. 1758.
 63. De vita Frobenii. 1756.
 64. Gratia panegygr. in diem nat. pini. Frideric' V, laurae et
 65. De des principitate. Progr. in christi natal. die. 1759.
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —

96
1233

— Nonnulla deunt —

ULB Halle 3
001 920 952







64.

DE
DEO PRIMOGENITO

PROGRAMMA
SACRO CHRISTI NATALITIO

A · R · S · C I O I O C C L X I I
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P · P

HELMSTADII
TYPIS VIDVAE B · P · D · SCHNORRII
ACAD · TYPOGR

